VI. Probatur ex Patribus Latinis. Ambrosius ad cap. 2. Lucæ: *Denique postea his dicitur: Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium, ut Evangelicæ prædicationis vestigium proferentes, toto Dominicorum seriem circumferrent orbe gestorum.* Et de Spiritu Sancto lib. 2. *Hos, quos Deus posuit in Ecclesia, Christus elegit, & Apostolos ordinavit, & in orbem dixerit, dicens: Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem credentes ista sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient &c.* Augustinus de consensu Evangelistarum lib. 3. cap. 25. *Hanc secundam Domini visionem erga discipulos factam, ideſt, quam secundo loco Joannes commemorat, apud Marcum possemus cognoscere, breviter eam, sicuti assolet, perstringentem, nisi moveret quod ibi ait: Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit: non ideò quia Joannes tacuit recumbentes: potuit enim hoc prætermittere; sed quia iste dixit: novissimè, quasi ultra jam non eis apparuerit, cum adhuc Joannes tertiam sit ejus narraturus demonstrationem ad mare Tiberiadis: deinde quod dicit idem Marcus: Exprobans illis incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Nam ita contexit narrationem idem Marcus, cum commemorasset breviter de duobus illis, quibus apparuit in villam euntibus, quod nuntiassent cæteris, nec illis creditum esset: Novissimè, inquit recumbentibus illis undecim, apparuit, exprobrans incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt, &c.* Hieronymus epist. 53. ad Riparium adversus Vigilantium: *Ergo & Domini corpus in sepulchro positum immundum fuit? Et Angeli, qui candidis vestibus utebantur, mortuo cadaveri, atque polluto præbebant excubias, ut post multa sæcula Dormitantius somniaret, imò eructaret immundissimam crapulam, & cum Juliano persecutore Sanctorum Basilicas destrueret?* Et lib. 2. contra Pelagianos c. 6. *In quibusdam exemplaribus, tam græcis, quam latinis, invenitur, scribente Luca: Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum: haud dubium, quin Salvatorem. Et factus in agonia prolixius orabat: factusque est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrens in terram. Salvator in passione ab Angelo confortatur, & Critobulus meus non indiget auxilio Dei, habens liberi arbitrii potestatem: & tam vehementer orabat, ut guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione fusurus.* Et ad psalm. 36. *Multos quidem dolos meditati sunt, cum interrogarent, si deberent censum dare Cæsari, an non? aut si mulier deprehensa lapidaretur? Sed tunc aperte dolum ingerunt, cum falsos testes adducunt.* Arnobius Romanus ad psalm. 64. *Quando paraſti omnes in veritate tua, quid dixisti? Prædicate Evangelium omni creaturæ: signa autem credentibus hæc ostendatis; infirmos curabitis, cæcos illuminabitis, mortuos suscitabitis.* Petrus Chrysologus serm. 115.: *Hinc est, fratres, quod cum in Evangelio a Scribis, & Doctoribus Legis apud Dominum ista accusaretur adultera, avertit faciem suam Dominus, & declinavit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret: & maluit, fratres, in pulvere scribere veniam, quam in carne scribere sententiam.*

VII. Probatur rationibus. I. Illa sunt in Ecclesia genuina, & divinæ authoritatis Evangelia, quorum numerus, & nomina, in Ecclesia fuerunt semper servata, & credita; sed sic sunt quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis: ergo &c. Probatur minor. S. Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 11. hunc titulum posuit: *Ostensio, quod neque plura, nec minus, quam quatuor possunt esse Evangelia.* Idem testatur Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 4. & 5. II. Patres priorum seculorum Ecclesiæ citant hæc tantum quatuor Evangelia; sed non citassent ipsorum verba, & ipsorum testimonia non attulissent, nisi ipsamet Evangelia fuissent genuina, & divinæ authoritatis: ergo &c. III. In librorum examine, an sint spurii, vel genuini, divinæ, vel nullius authoritatis, standum est judicio Ecclesiæ; sed Ecclesia per totum Orbem diffusa semper docuit, & etiamnum docet, quatuor Evangelia prædicta esse genuina, & divinæ authoritatis: ergo &c. Major patet ex Augustino cap. 5. libri contra Epistolam Fundamenti, ubi habet: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret authoritas.* Minorem experientia testatur. IV. Non esset in quatuor Evangeliis præfatis uniformitas in dogmatibus, in præceptis, in consiliis, quæ modo est, & quæ semper fuit, si ipsa Evangelia genuina non essent, ac divinæ authoritatis. Et hoc quidem facile videtur in aliis libris, quorum pervia est corruptio, & interpolatio; quia genuini non sunt, nec divinæ authoritatis.

Dicimus II. Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, ab illis Authoribus con-